

Lucas Gernler Peter Fuchs


Dissertatio Theologica De Peccato In Spiritum Sanctum

Basileae: Deckerus, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787863572>

Druck Freier  Zugang





In Tomo hoc XXXVII. Sunt

1. Jo. Schmid de Peccato. ad 1 Jo. III, 4.
2. — De libero Arbitrio. Jo. VIII, 36.
3. Seb. Schmid de script. S. ad 2 Pet. I, 19. 20. 21.
4. D. Damhaueri Aethera Sancta sui vindic.
5. Jo. Faust protri. de cognitione divina ad Act. XVII, 28.
6. D. Georgij Heberlini fascic. Myrtha. Cant. I, 13.
7. Andreas Vivinius ad I. Salmum II.
8. Jo. Schmid de Vita Aeterna.
9. Christiani Holz. Manipulus thesauri Praxiani sub B.
Ludgemanno propositarum.
10. D. Martin Gejeri conformitas Iudaeo Papistica in
doctrina de Deo Angelic & Homine.
11. Christoph Laur. Scheelführer p. tri. de Chirismo.
12. Jo. Andr. Quenstedt de Persecutione venedict.
13. Gabrielis Wedderkopff de Athetismo Sconianorum.
14. Michael Foerisch de Secum naturalium origine
15. —. De ordine script. S. prout ea tum. Nat. conve-
niunt. &c.
16. & Jo. Fecht de Iudice Controversiarum.
16. a. —. de II Trinitate
16. b. —. De Pont. Chnst.
17. —. De Jurisdictione Sacerdotum
18. —. De Luvatione.
19. —. De Communione sub utraque

20. D. Jo. Fesht de Miſſa.
 21. —. De ſacramentis.
 21. —. De vocatione Miniſtrorum Eccleſie.
 22. —. De Celibatu eorundem.
 23. —. De Peccato.
 24. Hoornbeeck de Theologia Praxi.
 25. —. Sans poſtendr.
 26. —. de Tentatione Dei.
 27. —. De Autoritate N. Teſt.
 28. —. De Pietate.
 29. —. De Devotione.
 30. —. De Meditatione ſacra.
 31 } —. De Studio verbi divini.
 32 } —.
 33. —. De ſenſu divina gratia.
 34. —. De Fiducia in Deo.
 35. —. De Gaudio ſpirituale.
 36. —. De Zelo.
 37. —. De Chriſto.
 38. —. De Aſcenſione Chriſti.
 39. —. De gloria Chriſti celeſti.
 40. —. De ſpiritu S.
 41 } —. De Providentia.
 42 } —.

42. } Floornbeek de Predestinationes.
 43. }
 44. }
 44. b. —. De Sabbato.
 45. —. De Ministerii acceptiones.
 46. —. De examine Ministrorum.
 47. —. De eorum officio.
 48.)
 49.)
 50. —. De Celestium Vita.
 51.)
 52.)
 53. —. De Foedere Celestium.
 54. —. De Mundo.
 55. —. Ad Matts. xxiii, 37.
 56. —. —. xl, 20. 21.
 57. Jos. Cocceji de divinitate Script.
 58. } —. de Perfectione Script.
 59. }
 60. } —. de Foedere gratie et Vet. ac N. T.
 61. }
 62. } —. de eo quod Sg. est.
 63. }
 64. —. De statu Humiliationis Christi.

65. Io. Coaeji de Regeneratione et Resurrectione.
66. —. De Oblatione Christi.
67. Wetstenij. De Unionis Personalis in Christo Forma,
Sine Effectu. etc.
68. — Lucia Gernecki de Forma Unionis Personalis
in Christo.
69. —. De Prometatibus Dei.
70. —. De Peccato in Spiritum S.
71. Wetstenij de Prædictis. Bonorum et malorum.
72. Hinc et Collegam Syllabus Controversiarum

V.

DISSERTATIO THEOLOGICA

De

PECCATO IN
SPIRITUM SANCTUM.

Quam,

DEO OPT. MAX. FAVENTE,

PRÆSIDE

Admodum Reverendo, Clarissimoq̄,

VIRO,

DN. LUCA GERNLERO,
S. S. Th. D. Locor. Comm. & Controv.
Theol. Profefs. Ecclef. Basil. Antistite Dignissimo,
Præceptore ac Fautore suo sempiternum
suspiciundo;

Publica, placidaq̄, συζητησι proponit,

D. X. MENS. JAN. AN. M. DC. LVII.

Horis locoque solitis,

PETRUS FUCHSIUS,
Montzingensis-Palatinus.



BASILÆ, Typis GEORGI DECKERI,
Academiæ Typographi.



SERENISSIMO ac CELSISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DN. LUDOVICO HENRICO,
Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariae,
ac Comiti in Sponheim, &c.

Domino suo Clementissimo;

UT ET

Generoso & maximè Strenuo Domino,

DN. BERNHARDO EHEMIO, Galliarum
Regis Christianissimi Generali militiae Prae-
fecto, &c. Domino suo gratioso.

NEC NON

VIRIS Reverendis, Clarissimis, Prudentia,
& integritate conspicuis,

DN. JOHANNI von Dahlen / Praefato Principi Sereniss.
à Concionib. Aulicis & Consiliis Ecclesiasticis.

DN. JOHANNI LUDOVICO VIETORI,
Dioceseos Montzing. Inspectori.

DN. PETRO FUCHSIO, quondam in Patria Praetori.

DN. ERASMO HESTERMANNO, Senatori Hanoviensi.

DN. JOH. HENRICO Stern / Viro praeclearis in Patria
muneribus defuncto.

DN. MATTHIAE Schreiber/

DN. LEONHARDO Herkog/

DN. JOH. FRIDERICO Stern/ } Mercatoribus
DN. JACOBO Furchhardt/ } integerrimis.

DN. THILMANNO Fuchs/

Fautoribus, Patri, Patruo, Avunculis, Agnatis,
Fratri, plurimum honorandis,

Hanc suam dissertationem, in grati animi, perpetuaeque
observantiae *τηρησειον*, humiliter consecrat

PETRUS FUCHSIUS, Author & Resp.



DISSERTATIO

De

PECCATO IN SPIRITUM
SANCTUM.

THESIS I.



Quum inter omnis generis studii nostri Sacro-sancti materias, quæ ob summam sui difficultatem altiore paulò requirunt indaginem, omnium confessione una è præcipuis sit locus de *Peccato in Spiritum Sanctum*: eum hæc vice pro gratiâ cœlitus concessâ, enucleandum selegimus. Ubi mediâ ceututissimâ incedentes viâ, id saltem, quod Spiritus Sancti dictamen suppeditat, non quod humana curiositas ulterius desiderat, prolaturi sumus. Ut enim circa hunc Articulum, quæ Scriptura manifestavit, modestiæ obtentu non sunt negligenda, vel silentii nube involvenda: Sic, quæ Deus occulta esse voluit, nequam scrutanda, *ne in illis*, (verba sunt Ambrosii) *damnabiliter ingrati: in his, illicitè curiosi inveniamur.*

II.

Peccatum in Sp. S. ut consuetam retinentes methodum ab *ὀνοματολογία* exordiamur, variis venit in S. Scripturâ nominibus. A Christo, modò *locutio*, modò *blasphemia in Spiritum S.* *Matth. XII. 31, 32.* à Paulo, *contumelia Sp. gratie illata*, *Heb. X. 29.* à Johanne, *Peccatum ad mortem*, *1. Ep. V. 16.* appellatur. Ratio horum nominum ex iis, quæ de Naturâ, Causis, Subjecto, Ad-

junctis & proprietatibus hujus peccati in seqq. afferemus, collectu non erit difficilis.

III.

Naturam seu Essentiam Peccati in Sp. S. definitio illius genuina aperiet: quæ non aliunde, quàm è S. Scripturâ deprecanda, insuper habitis Scholasticorum dissertationibus, qui ut alibi, sic etiam hoc in argumento ineptissimè versantes, Peccatum in Sp. S. ita describunt, ut quodvis voluntarium peccatum, quævis desperatio, abnegatio veritatis quævis, ex illorum mente, sit ipsissimum, de quo loquimur, peccatum in Sp. S. propriè sic dictum.

IV.

E' Scripturâ itaque, tanquam literis fidei (è quibus solis, dicente Clemente, *de rebus fidei loquendum*) talem afferimus The-matis nostri Definitionem. Peccatum seu blasphematio in Sp. S. est talis quorundam reproborum impietas, quâ verbum fidei seu doctrinam Evangelii, de cujus veritate & bonitate in mentibus suis per illuminationem Spiritûs S. plenissimè sunt convicti, ex destinato meroque odio, pertinaciter repudiant, blasphemant, & quibuscunque possunt modis oppugnant.

V.

Causa Efficientes, tùm *Principales*, tùm *minùs Principales* & *impulsiva*, sunt eadem fermè, quæ cæterorum peccatorum actualium: ut iis recensendis diu immorari haud multùm attineat.

VI.

Materia circa quam, vel potiùs *contra quam*, *Objecti* nomine ab aliis insignitâ, est tùm doctrina veritatis, quam homines isti rejiciunt; tùm Sp. S. de eâ testimonium, & quæ inde proficiscitur mentis illuminatio ac convictio, cui petulanter ob-lustantur.

VII.

Circa prius sciendum: duplicem esse veritatis abnegationem; *Totalem*, quæ doctrinam sanam in universum concernit; & *Partialem*, quæ unum vel alterum saltem caput respicit. Partialem hanc abnegationem ad constitutionem peccati in Sp. S. sufficere permulti quidem negant: sed abs re. Pharisei enim, qui à Christo ipso hujus peccati rei peraguntur, veritatem

tem non omnino, sed ex parte saltem rejecerunt, secus enim nullatenus audiendi fuissent, contra expressum Servatoris præceptum, *Matth. XXI. 3.* Sic etiam illorum non pauci, qui Ægyptum spiritualem, unde egressi fuere, per apostasiam repetunt, ut maximè non omnia doctrinæ Christianæ capita abjurent, sed quædam illorum retineant; nihilominus peccatum hocce committunt.

VIII.

Circa posterius notandum, duplicem esse Spiritus Sancti illuminationem. Unam, quâ homo de veritate Evangelii saltem convincitur, ut, licet velit, obloqui amplius nequeat: Alteram, quâ de illâ plenè persuadetur, ut contradicere amplius nolit, quin potius ultrò verbum fidei acceptet & credat. *Illa*, metè Theoretica: *hec*, Practica. *Illâ*, saltem simplex, seu primum: *hâc*, comparatum quoque seu ultimum intellectus judicium, adeoque & voluntas, ductum judicii hujus perpetuè sequens, ambuitur. *Illa*, gratiæ duntaxat communis & externæ, quâ ceu fistula quâdam allicimur: *Hæc*, gratiæ specialis & internæ strictè sic dictæ, quâ ceu pedo quodam efficaciter trahimur, *Joh. VI. 44.* effectum existit. Cùm de Peccantibus in *Sp. S.* dicitur, quòd illuminationi illius oblectentur ac resistant, *Act. VII. 51.* sermo est de illuminatione non posteriori, quæ irresistibilis, vel si mavelis, insuperabilis, adeoque nunquam prorsus irrita & inefficax: verum de priori.

IX.

Liquet ex his, cur peccatum in *Sp. S.* sic vocetur: nimirum non ratione *Essentiæ*, vel *personæ* Spiritus S. (cùm enim omnium trium personarum una sit divinitas, æqualis gloria, ac cœterna majestas; earum una nequaquam offendi poterit, quin injuria simul in reliquas redundet, ac qui in Spiritum S. peccat, in Patrem quoque, & Filium peccare censendus sit) sed respectu officii & beneficii, quod *Sp. S.* immediatè obit ac præstat, veritatem docendo, & mentem illius cognitione impertitâ, illuminando.

X.

Forma porro hujus peccati rectè statuitur malitiosa veritatis

Evangelicæ, contra testimonium Sp. S. eoq̄ue convictam conscientiam, rejectio & abnegatio.

Rejectio eorum est, qui veritatem Evangelicam acceptare, eiq̄ue nomen dare præfractè recusant: abnegatio illorum, qui veritatem jam acceptatam rursus abnegant, cujusmodi homines *Apostata* vulgò vocantur.

XI.

Non autem rejectio & abnegatio promiscuè quævis peccatum est in Sp. S. sed ea saltem rejectio, quæ fit *μὴ τὸ λαβῆναι τὴν Πνεύματι τῆς ἀληθείας*, adeoq̄ue contra conscientiam: illaque tantum apostasia, quæ fit *ἐκστάσις*, ultrò, sine ullâ causâ: aut causæ specie, ex mero duntaxat, destinatoq̄ue veritatis odio, *Heb. X. 26.*

XII.

Veritatis itaque rejectio, ut maximè ex destinato proveniat: odio, si non fiat contra conscientiam, nondum est peccatum in Sp. S. Constat enim, Paulum quantumvis nefandum, quò accensus erat, Christianismi odium diris cumulârit blasphemias, horrendisq̄ue persecutionibus, in Sp. S. tamen non peccasse: verum cum *ἀγνοῶν ἐν ἀπίστῳ*, *1. Tim. I. 13.* fecerit, quicquid fecit, veniam à Deo obtinuisse inopinam. Phariseos è contra aliâ longè mente non ex ignorantia, sed contra conscientiam Christum blasphemantes & persequentes, (cætera quoad factum ipsum Paulo haut nequiores) peccatum hoc commississe, non est dubium. Quod tamen non de omnibus omninò Phariseis, cum Petrus quosdam illorum excipiat, *Act. III. 17.* sed de bonâ tantum sectæ hujus parte dictum velim, illis nempe qui increpantur *Matth. XII. XXII. & XXIII.*

XIII.

Vice versâ nec Apostasia, ut maximè fiat contra conscientiam, si ex odio non proficiscatur destinato, peccatum est in Spiritum S. Sunt, qui metu vitæ, dignitatis, fortunæve amittendæ, veritatem, quam professi sunt, abnegant. Istorum abnegatio cum dolorem & anxietatem animi semper habeat comitem, resipiscentiam veram sæpenuerò pedissequam, peccatum in Sp. S. dici nequit: secus enim ipsemet quoque
Petrus.

Petrus in Sp. Sanctum peccasset, cui tamen hætenus excusando, vel sola subsequens resipiscencia, si maximè nil aliud adduci posset, abundè sufficeret, *Matth. XXVI. 75.* Alios non tam anxius rei amittendæ metus, quàm vana: melioris fortunæ spes, quæ vulgò magnificis laetatur pollicitationibus, (sicut metus minis inquitur terrificis) in barathrum hocce abnegationis dat præcipites. Horum fors utcunque longè periculosior sit quàm Illorum, cum prolapsi rarissimè resipiscant, sed plerunque occalescant, hicque callus & stupor postmodum totalem gignat Apostasiam: Si tamen aliquando præter omnem spem ad frugem redeant, vel hoc ipso argumento se Christum non penitens rejecisse, ac in Spiritum S. peccasse, satis superque probabunt. Alii, nec metu compulsi, nec spe adducti, sed ultrò sine ullâ causâ, vel causæ specie, veritatem perspectam ex mero duntaxat illius contemptu & odio, in conscientia primùm, ast contra conscientiam, abjurant: manifestâ subinde blasphemiæ jacula, contra Christum, ipsius doctrinam & ecclesiam, projicere non cessant. Inter Apostatas hujus generis, omnium deterrimos hujusque peccati reos indubios, primas tenet post Judam Ischarioram, Julianus Apostata, de cujus blasphemis horrendis, ausibus nefandis, tragicoque interitu consuli potest Theodoretus.

XIV.

Formam excipit *Subiectum*, quod sola quidem reproborum cohors, sed nec *tota*, nec pleraque constituit. *Solos* reprobos ac proinde neminem Electorum dicto modo peccare, tam certum est, quàm certum est; neminem Electorum posse seduci, *Matth. XXIV. 24.* aut ad mortem peccare, *1. Joh. V. 16.* cum non saltem decreto planè: *σπεῖω*, *2. Tim. II. 19.* & *ἀμεταμελήτω*, *Rom. XI. 29.* ad salutem sint electi, sed & ad eam virtute ejus, qui major & potentior omnibus, per fidem custodiantur. *1. Pet. I. 5. Joh. X. 29.*

XV.

Ut autem electis non quocunque respectu hæcce à peccato in Sp. S. immunitas competit, sed in respectu saltem ad Deum ipsiusque decretum & potentiam: sic etiam non à quocunque

lapsu & defectu ipsos eximit, sed illo saltem, quo fides cum bonâ conscientia omnino abjicitur, 1. Tim. I. 19. quique ab Apostolo καὶ ἐξοχλῶ lapsus & peccatum voluntarium dicitur. Heb. V l. 6. & X. 26. Electi itaque si quando labuntur, ita labuntur, ut non planè collidantur: Jehovahâ sustentante ante ipsorum manus. Ps. XXXVII. v. 24. Si quando aberrant à pascuis Domini, rectoque vitæ tramite, ita aberrant, ut nec à Pastoris protectione recedant, nec propositum redeundi profus abjiciant. In naufragio retinent tabulam, in hyeme semen, in paroxysmo lymphatico rationis principium. Deficit quandoque ad Tyrannorum minas fides ipsorum, quoad actum confessionis in ore; sed non deficit, quoad habitum in corde: concutitur nonnunquam in gravi tentationis luctâ; sed non omnino excutitur.

XVI.

Loca ad Hebr. VI. & X. huic nostræ sententiæ de electorum à peccato in Sp. S. immunitate nequicquam officiant. Præterquã enim quòd propositiones conditionales nil ponant in esse; sermo est utrobique; non de Electis & verè fidelibus in specie; sed de vocatis in genere & indefinitè, inter quos multi reperiuntur ὡσεύκαρποι & reprobi. Neque etiam insignia Illuminatorum Sp. S. participium, &c. prædicata, electorum ita sunt propria, ut nullo planè respectu, nec analogicè & secundum rem aut certum rei gradum, nec æquivocè & secundum nomen, toti vocatorum cœtui (quo verè fidelibus, hypocritæ & temporarii, bono tritico zizania, magno numero sunt admixta) attribui possint. Apostoli sanè hisce & similibus titulis omnes promiscuè vocatos, adeoque etiam, qui inter illos versantur, temporarios compellere non dubitant. Et quid dubitarent? cùm homines isti non saltem ob externam fidei professionem, tales nobis videantur, sed etiam pro talibus ex Canone charitatis, quæ de externis saltem judicat, occulta nil curans, habendi sint. Taceo, quòd & temporarii reapse ad certum quendam, acceptionis donorum Sp. S. illuminationis, fidei, lætitiæque gradum, ad ipsorum in die iudicii ἀναπολογία, assurgant.

XVII.

Adjuncta peccati in Sp. S. quos comites illius individuos haud malè dixeris, sunt: *Blasphematio, Oppugnatio, & Obsinatio.*

Qui

Qui enim ita peccant, cœlestem veritatem, quam in corde suo habent cognitam & exploratam, non saltem ultrò abnegant, sed etiam scommatibus, sannis, blasphemisq̄ue tùm Christum, tùm ejus doctrinam ac Ecclesiam onerant: neque saltem contumeliis rem suam agentes, ipso facto quoque veritati bellum indicunt, eamq̄ue omnibus modis oppugnare & suppressere conantur: & quod omnium deterrimum, in hoc scelere aded sibi placent, ut nullis prorsus monitis dent locum, quoque magis agnitam veritatem impediunt, negant, blasphemant, voce, calamo, vi ac ferro prosequuntur, ed etiam impensius, tanquam re præclare gestâ, & cultu insigni Deo præstito, semetipsos ament. *Joh. XVI. 2.*

XVIII.

Proprietates hujus peccati sunt respiscendi impossibilitas, & irremissibilitas, quarum una alteram subinfert. De respiscendi impossibilitate sic infit Apost. Hebr. VI. 4, 5, 6. Ἀδύνατον γὰρ, &c.

De Irremissibilitate hujus peccati, nota sunt verba Christi *Matth. XII. 32. Καὶ ὅς ἀν εἴπη λόγον κτὶ ἢ ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων, &c.*

XIX.

Pontificii in hisce Christi verbis suum scrutantes Purgatorium, nodum sc. in scirpo, exinde concludunt: Quædam peccata in hâc, quædam non in hâc, sed post hanc vitam remitti: cum autem nec in cœlo, nec in inferno, remissioni ullus exstet locus; præter cœlum & infernum post hanc vitam locum superest tertium. Argumentum prorsus frivolum. Præterquam enim, quòd secundùm Logicorum regulas, ex negatione non statim inferenda sit affirmatio: futurum seculum in loco citato nequaquam denotat tempus inter cuiusque mortem & extremum judicium intermedium, sed potius vel extremum judicium ipsum, (in quo si non *effectivè*, saltem *declarativè* fiet remissio) vel tempus judicium hocce sequuturum, quo secundùm propriam Adversariorum confessionem, nullum amplius erit purgatorium, nullaq̄ue peccati remissio. Ut enim præsens seculum sese extendet ad extremum usque diem, quo consummabitur: sic futurum seculum ab ultimo die seu consummatione seculi incipiet. *Matth. XXI V. 3.* Christus ergò di-

cens: Peccatum in Sp. S. *neg*, in hoc *neg*, in futuro seculo remissum iri, non distinguit remissionem in duas species, quarum una in hâc vitâ obringat, altera post hanc vitam sit expectanda: sed potius infinium, per *ἀνετησιον* in duas partes dividens, peccatum in Sp. S. nunquam, seu ut Marcus loquitur c. III. 29. in *eternum* non remissum iri, pronuntiat. Quod apud Marcum scriptum est: non habet remissionem in *eternum*, sed reuserit *eterni* iudicii, quid est aliud, quàm id, quod secundum Mattheum legitur: non remittetur ei, *neg*, in hoc *neg*, in futuro seculo? Aliis quippe verbis, & alio loquendi modo eadem ipsa expressa est sententia, scribit B. August. Serm. VI.

XX.

Quomodo verò & cur peccatum hoc sit irremissibile, difficile est explicatu. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 17. scribit, tribus de causis id contingere. 1. Quia ut plurimum ejuscemodi homines non convertuntur, nec ejuscemodi peccata remittuntur, et si absolute contrarium possit accidere & nonnunquam accidat. 2. Quoniam qui in Sp. S. peccant, directe resistunt gratiæ, quâ solâ curari possunt. 3. Quia ex malitiâ peccantes, nihil in se habeant, unde remissionem mereantur. Confer. l. 2. de pœnit. c. 16.

XXI.

Inter hæc causas quemadmodum secundam libenter amplectimur, ita primam & tertiam merito repudiamus. Christus enim simpliciter, magnâque cum vehementiâ de peccantibus in Sp. S. dicit, quòd remissionem non sint consequuturi: ergo absolute contrarium neque accidere potest, nec unquam reapse accidit. Porro, si carentia meriti vera esset causa irremissibilitatis peccati in Sp. S. omnium profectò hominum peccata, utpote quorum nullus habet, unde remissionem mereatur, forent irremissibilia.

XXII.

Unde ergo hæc, inquit quis, & veniæ consequendæ & respicientiæ faciendæ impossibilitas? An fortè majus & potentius hoc peccatum gratiæ & potentiâ Dei, sacrificio Christi ac operatione Sp. S? Nequaquam. Gratiæ enim Dei omne peccatum superat. Rom. V. 20. Christi sanguis nos ab omni peccato purgat. I. Joh. I. 7. Sp. S. venti instar quo vult spirat, quem

quem vult illuminat & convertit. *Joh. III. 8.* Impossibile ergo peccantes in Sp. S. remissionem consequi & renovari, *secundum quid*, quia sc. hoc non saltem *decreto*, sed etiam *justitiæ divinae* repugnat. Cum enim *Filium Dei conculcent & sanguinem fœderis, per quem sanctificati sunt, profanum ducant, Heb. X. 29.* nulla pro ipsis *superest hostia, v. 26. aut Christus denuò crucifigendus esset. Heb. VI. 6.* Cum, inquam, Evangelium, verbum illud crucis rejiciendo, & abnegando, crucem Christi ipsam, pretiosissimumque, quem in eâ effudit, sanguinem, sacrificium illud pro peccatis semel peractum & unicum petulanter respuant, & non secus ac rem quandam profanam atque abominandam, pedibus quasi conculcent: hæcce suâ impietate, in eum se conjiciunt statim, ut si reconciliari ac renovari debeant, reiteratâ opus sit Christi crucifixione, seu novo sacrificio, novâque satisfactione. Ut autem Christus bis crucifigatur & moriatur, cum justitiâ & sapientiâ Dei manifestè pugnat. *Rom. VI. 9, 10.*

XXIII.

Et hanc ipsam quoque ob rationem peccatum hoc dicitur, *Peccatum ad mortem, 1. Joh. V. 16.* non saltem *meritoriè*, quòd mortem æternam mereatur, quòd ei cum cæteris peccatis commune, *Rom. VI. 23.* sed & *eventualiter*, quòd extra spem veniæ positum, mortem æternam infallibiliter habeat subsequentem.

XXIV.

Patet ex his, quòd protoplastæ, utpote qui veniam lapsus sine dubio consequuti sunt, à quibusdam in Sp. S. peccasse minùs rectè dicantur. Accedit & hoc, quòd nec ex merâ petulantia peccarint, sed seducti: nec peccando Evangelium, quòd tùm non erat, rejecerint, sed Legem potiùs sibi datam violârunt.

XXV.

Ad *Proprietates* hujus Peccati & id referendum, quòd pro hominibus illo constrictis orare prohibemur. *1. Joh. V. 16.* Ec cui bono pro talibus oraremus? qui corda habent pœnitere nescia, & quibus certò decreta est damnatio. *Heb. X. 27.* Ut taceam talem Orationem fore iniquam & stultam, ac propterea potiùs intermittendam, quàm instituendam. Oraremus sanè, ut
Deus.

Deus aliquos velit convertere sine Christo, sine verâ pœnitentiâ; quo quid quæso iniquius, aut magis temerarium?

XXVI.

Probè tamen cavendum, ne cuiquam temerè hoc Peccatum impropere. Cùm enim nec καρδιογνώσει fimus, nec dono Διαιρέσεως τῶν πνευμάτων polleamus: satius utique iudicium hîc suspendere, quàm temerè iudicando iudicium Dei incurrere. Scitè Augustinus: *De hoc Peccato non iudicandum, nisi ex posteriori*: Quatenus sc. concretivè consideratur, prout certo subiecto inest; abstractivè enim & formaliter spectatum, etiam à priori cognosci potest.


XXVII.


Franciscum Spiram metu periculi & persuasione amicorum præposterè de ipso sollicitorum persuasionem, veritatem Evangelii abnegantem, in Sp. S. qui peccasse existimant, naturam peccati huius si rectè intelligant, historiam defectionis ejus non satis novisse, videntur.


Et sic Disputationi nostræ finem imponimus.


Deus O.M. ab omni defectione, illâ cum primis, quâ Sp. S. non saltem tristitiâ, sed & contumeliâ afficitur, nos præstet immunes, Virtutisquæ suæ præsidio per fidem custodiat, ad salutem ab æterno paratam, ultimoque tempore patefaciendam, per Ducem illum & perfectorem fidei Jesum Christum. Amen.




















the scale towards document

E SACRA COENA.

51

ut proin rectè tum in pyxide vel cibario asser-
ngestetur, tum ad ægrotos & moribundos,
viaticum, deferatur? N. contra *Pontific.*
ani, vel hostiæ consecratæ, cultus divinus &
Templis, tum in publicis privatisque pro-
bendus sit? N. contra *Pontificios.*

XV.

VOCATIONE INTERNA,
ET FIDE.

Evangelii manifestatio homini sufficiat ad sa- *De l'a es est.*
rum illius intelligentiam, adeoque & conver- *& Nomine.*
requiratur in super Vocatio interna, & actio
subjectiva? N. prius: A. poster. contra *Socin.*
Gratiam Evangelii, ejusque efficaciam, alia
vocatio interna ad Christum, per lumen natu-
ræ imaginis Dei scintillas, quæ proin rectè *Gratia*
ur? N. contra *Pontif. & Remonstrantes.*
na Vocatio efficax & salutaris dicatur tantum
qualiter; an verò etiam à priori, ratione volun-
tatis, & naturæ ipsius Vocationis? N. prius:
contra *Remonstr. & Lutheranos.*
tio ad fidem efficax per Evangelium, fluat ex *De Ca use*
tem, ejusque fructus sit? A. contra *Remonstr. Effic.*
causa, cur uni præ altero Gratia ista contingit,
Soxæ, facientis de suo quod vult, juxta decre-
tæternæ; an verò causa detur à parte *hominis*,
ut præ altero se ex propriis viribus melius dif-
finitione naturæ dignius usus fuerit, vel similis
causa? N. poster. contra *Pontific. & Remonstr.*
ratio hæc sit effectus meriti Christi, eique, tan-
quam meritoria, accepta ferenda? A. contra *Re-*
monstrantes, uti primo Vocationis momento Deo

G 2